



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO SECUNDA
in Augustanam Confessionem
continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ Ι.

De

DEO UNO ET
TRINO,

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
proposita

P R A E S I D E

JACOBO MARTINIS, S. Th.
Doctore & Professore Publ.

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNES POLTZIO
Thermis-Carolinis-Bohemo.

*In Auditorio minori ad diem 10. Augusti
horis à Secundâ Pomeridianis.*



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXVIII.

DISSELTATIO SEQUENTIA
IN ARGUMENTIS CONSTITUTIS
ARTICULI SEQUITUR
DEO UNICO
TERTIO
JACOBI MANNHARTII
Typographus Saxonum
Anno MDCXXVIII





DISPUTATIO SECUNDA

In,

Augustanam Confessionem continens

Antithesin articuli I. de Deo Uno & Trino.

Continuatio.

Absoluta in primâ disputatione priorē parte articuli primi Augustanæ Confessionis, θετικῆ; sequitur altera, ἀντιθετικῆ. Ut autem in rebus quibusvis aliis veritas semper una est & simplex; falsitas contra varia ac multiplex; uni tamen verò sub una mendacii ratione opposita: sic quoque confessionis de Deo orthodoxæ una & simplex est veritas, errores verò atque hæreses plurimæ ac multiplices. Possunt autem omnes ad duos præcipuè ordines sive classes haud incommodè redigi. Quarum prior sit vetustiorum, posterior recentiorum hæresium.

THESES.

I.

Vetustiores hæreses dicimus impræsentiarum illas, quarum expressa sit mentio in ἀντιθέσει hujus articuli, & quæ propter antiquitatem simul ac convenientiam ad illas reducuntur. Hæ autem non eodem modo ἐπεροδοσιαλίαν in articulum hunc invehunt. Ostensum est hæcenus, & unum & multa de Deo prædicari verè & credi piè; nempe unum de essentia; trinum seu multa de personis. In alterutro capite Hæretici impingunt: idque utrobique bifariam: Aut enim sic multitudinem in Deo statuerunt, ut vel unitatem nullam, ut 1. *Valentiniani* & qui ad hos reducuntur, *Ethnici* cum sua πολυθεία; 2. *Manichæi*:

A 2

Vel

Vel falsam unitatem, ut *Ariani*, & *Eunomiani*, in Deitate relinquerent: Aut ita unitatem in divinis docuerunt, ut Trinitatem vel planè nullam, ut *Mahometiste*: vel falsam in Deitate constituerent, ut *Samosateniani*, & quos illis conjungimus, *Praxiani*, *Noctiani*, *Sabelliani* & *Photiniani* &c.

II. *Valentiniani* à Valentino quodam appellati sunt, qui tempore Antonini Imp. circa annum Domini 150. vixit, fixitque tergeminarium Deorum numerum, nulla scripturarum prætextu usus; sed Ethnica superstitione excæcatus: quippè Hesiodi *Ἡσιόδου* imitatus, quæ tota fabulosam impietatem respicit. Hujus insaniam refutaverunt Ignatius, Tertullianus, Augustinus, & fusissimè Irenæus. Videri etiam potest Euseb. lib. 4. c. 11.

III. Meritò ergo ad hanc referimus, *πολυθεΐαν* Ethnicorum: quippe ex qua orta est Ethnici *ἡμῶν θεῶν* & totum cætum Deorum fingebant: Quorum varia genera & nomina, officiaque Augustinus recenset ex Varrone lib. 6. & 7. de Civitate Dei.

IV. *Manichea* hæresis pestilentissima nomen sortita est à Manete (cui discipuli Manichæi appellationem tribuerunt) homine Persa: quæ innotuit sub Aureliano Imp. teste Eusebio & Epiphanio (Augustinus Manetem sub Probo vixisse annotat *Contra Faust. l. 13. cap. 4.*) circa annum Christi 280. hujusque caput primum hoc fuit, quod duo esse docuit rerum principia æterna, & sic duos Deos, unum Bonum, autoremq; boni, Malum alterum, malorum omnium principem. Cujus impietatis semina hæresis ista à Marcione mutuata est, qui primogenitus diaboli à Polycarpo appellabatur: & idem dogma de duobus principiis contrariis æternis, à Cerdone haustum, sparsit circa annum Domini 150. Ut autem Augustinus Manichæos tomo. 6. distinctis tractatibus eruditè confutavit: Sic Tertullianus contra Marcionem libros quinque scripsit.

V. *Ariana* hæresis ab Ario homine Lybico ortum traxit circa annum Christi 290. quæ Filium & Spiritum Sanctum Deum esse non simpliciter negavit, sed *ὁμοσις* esse noluit, Filium creaturam appellans, Spiritum Sanctum creaturam creaturæ, id est, ab ipso Filio creatum, teste Augustino cap. 49. de hæres. ut numerum quidem & multitudinem Personarum & sic Trini-

Trinitatem quandam conce'eret; sed unitatis mysterium depravaret. Merito igitur *Arius* cum suis sectatoribus in Tritheitarum catalogo recensetur: qui verò ab Arianis in eo differunt, quod statuunt tres Spiritus æternos, essentiali numero differentes. Hos Valentinus Gentilis secutus est, tandem Bernæ supplicio affectus.

V I. *Ario* succenturiatus fuit *Eunomius*, impii Magistri impius discipulus: magistro nihilominus suo in uno melior: quia impietatis suæ ingenuus professor. Nam quod Arius variis verborum & dissimulationum involucris in pectore occultabat; hoc *Eunomius* cum suis affectis apertè profitebatur: Christum Filium Dei, Patri non tantum ἐτερότιον: sed etiam κτ' πάντων ἀνάκτων esse. Quam ob causam etiam *Anomiani* sunt appellati.

V II. *Mahumetistas* in infidelium & paganorum numero hodiè habet Ecclesia: Quatenus nihilominus ad conflandam religionis suæ farraginem Judaici partim, partim Ariani fermenti participatione usi sunt, inter hæreticos quoque referri possunt; Qui in Deitate tantum unam Personam agnoscunt, Filii Deitatem negantes ridiculo planè argumento: Quia Deo nulla sit conjux, filium esse nullum posse; interim Christum quidem loco Prophetæ magni habentes, sed majorem ipso Mahumetem æstimantes, & denique Spiritum Sanctum ex albo Deitatis penitus expungentes.

V III. *Samosateniani* à Paulo Episcopo Antiocheno circa annum Christi 265. quem à Patria Samosatenum nominabant, appellati sunt, qui negantes tres in Deitate personas, unam duntaxat agnoverunt in Deo ut ἰσοίαν, sic etiam ὑπόστασιν: quæ verò pro diversitate temporis, atque usus, modò Patris, modò Filii, modò Spiritus Sancti appellationem indueret; & sic tres quidem in Deitate distinxerunt, verum non ὑπόστασις, sed duntaxat τὸ πᾶν, referentes ad affectionis & dispensationis varietatem, quæ scriptura ὑπόστασις πᾶσι distinguit. Hæresin hanc, superiore seculo ab inferis reductam, in Ecclesia interpolavit *Michael Servetus*, natione Hispanus, professione Medicus, à Genevensibus anno Christi 1553. die 17. Octobr. propter hæresin exustione è mediò sublatus.

IX. Primi autem authores hujus erroris verbali duntaxat non reali distinctione Patrem, Filium & Spiritum Sanctum differre profitentes, & interim tres nomenclaturas in una substantia agnoscentes, fuerunt *Noëtus & Praxeas*. Ille enim istum spargere cepit in Asia circa annum Christi 170. Hic paucis annis post in Africa. Sabellius verò longè lateque propagavit circa annum 270. Ex ejus quoque doctrina hæretica venenum traxit *Photinus*, Sirmiensis Episcopus, circa annum 355, asseverans non esse in Deo revera tres personas distinctas, sed unicam tantum: nomina autem Filii & Spiritus sancti etiam ad Patris personam pertinere: Revera autem Filii Dei personam non extitisse, priusquam Jesus ex Maria initium sumeret, ideoque nudum hominem esse: qua in parte Ebionem Hæreticum secutus est, sicut in Personarum confusione Sabellium: Spiritus quoque Sancti divinam naturam negavit.

X. His ergo opposita est sententia sacrae scripturae, his verbis explicata: *Deus verus essentia unus, non nominibus tantum, sed ἑσώσεσιν, & Personis tribus distinctus, est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.*

XI. Harum vocum, *ἑσώσεσιν, ἑσώσεσιν*, Personæ &c. usum alii Hæretici, ut pote Paulus Samosatenus, Arius, Photinus &c. interveniente necessitate novâ aliquanto post interpolaverunt, & vehementissimè has voces oppugnando ostenderunt, nullis aliis se fortiùs premi & teneri: unde necessitas ingens allata fuit, quæ ut extorsit illa vocabula, ita variis rationibus coegit retinere. Usus enim posterior magis probavit & commendavit illorum & necessitatem & utilitatē, ut ad plures hæreses destruendas, ad veritatem sincerè asserendam, nunc sint significantiora reddita. Adhuc de Hæresibus & Hæreticis vetustioribus.

XII. Sequuntur Recentiores: qui sunt Pontificii, Calviniani & Photiniani novi. Hi enim omnes suos fovent & propugnant errores.

XIII. Pontificii quidem ipsi, quando Augustæ Vindelico-
rum Imperatori exhibita est hæc nostra Confessio, nihil habuerunt in hoc articulo, quod repræhenderent, sed tanquam orthodoxum receperunt & approbarunt: sequentibus verò temporibus

poribus publicè antecessoribus suis contradicere, & more suo in os mendacii illos arguere non erubuerunt Jesuitæ: partim nos accusando, quasi veram Christi Divinitatem, proindeque Sacrosanctam Trinitatem cum Arianis detestemur: partim obliquè fundamenta hujus nostri articuli subvertendo.

XIV. Ad Arianorum hæresin defecisse Lutherum & Lutheranos probare conantur Jesuitæ & cum primis *Bellarminus in Præfat. in lib. 1. de Christo, & Greg. de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 7.* ubi Lutherum & Melanchthonem accusant, quod quidem verbis, Christi divinitatem confessi sint, re ipsa verò negaverint. Quam calumniam ut colorent, has adducunt rationes. 1. Quia Lutherus scribat contra Jacobum Latomum: *Anima mea odit hoc verbum ὁμοῶς*. 2. Quia ibidem sine fronte hoc addat mendacium, hanc ipsam vocem Hieronymo displicuisse, idemque reperat in libro de Conciliis, in hæc verba: *S. Hieronymus vehementer perturbatus, lamentabiles literas scribebat ad Episcopum Romanum, Damasum, & cupiebat expungi vocabulum ὁμοῶς*: cum interim ibi Hieronymus nihil agat de voce ὁμοῶς, sed hypostasis. 3. Quia etiam Luthero Trinitatis nomen displicuerit, & ex Germanorum precibus illam precandi formulam submoverit: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nostri*. 4. Quia in eodem Concilii libro, Nestoriū & Eutychem ex inscitia aliqua & in modo loquendi lapsos dicat. 5. Quia in caput 1. Genes. Filium instrumentum Patris appelliter: & illa loquendi formula etiam usus sit Arius in lib. Thaleiæ: constet autem instrumentam non esse eadem præditum potestate; indeq; Georgium Blandratam ad confirmationem suæ hæresis contra Christi veram divinitatem, hoc ipsum testimonium Lutheri suis adversariis, Lutheri discipulis, tanquam sententiam præceptoris, confidenter objecerit. 6. Quia in suis Bibliis editis Germanicè Wittebergæ, Jenæ, Lipsiæ, Francofordiæ ex loco Esaiæ 9. ubi Christus Deus fortis dicitur, vocem, Deus, prætermisit. 7. Quia ex epistola prima Joan. cap. 5. expunxit illud: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*. 8. Quia lib. de Concil. part 2. Divinitatem Christi passam esse asseveret. 9. Quod Philippus Melanchthon has ponat propositiones

nes



nes de Filio secundum ipsam divinitatem: Filius orat, intercedit, postulat: Item Filius est minister Patris, hoc est, Sacerdos, Pontifex, & Mediator: Item Filio imperat Pater, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, Item: Filius subditus est Patris, subjectus, obediens. Quod etiam dicat in locis communibus anno 1558. editis p. 40. Cum autem hæc omnia tribuat Filio secundum divinitatem: similiterq; ab Arianis asserta fuerint, recte August. Tom. 6. concludit Greg. de Valent. meritò Melancthonem Arianismi accusari. 10. Quod idem Philippus Filio tribuat divinam naturam non absolutè & simpliciter, sed aliquid, ut loquitur, *Divine nature*, seu quandam divinam naturam: quasi non omninò divina sit sicut Patris.

X V. Respondemus ad argumentum primum, Luthero magnam fieri injuriam, & crimen falsi committi: Quandoquidem Lutheri verba non sunt categorica sed hypothetica, & quidem hæc ipsa: *Si anima mea odit hoc verbum ὁμοῦσι*, propterea non fuero hereticus.

X VI. Demonstrat autem Lutherus eo loci contra Latomum, quod nullo loco scriptura peccatum pro pœna, sed contra ubiq; pro malo, Legis Dei adversario accipiat: Cum verò ille Ecclesiæ, patrumq; urgeret autoritatem, illamq; exemplo vocis ὁμοῦσι demonstraret, & diceret, illud ab omnibus receptum esse: respondet Lutherus non uno modo: sed distinctis utitur responsionibus. 1. Non fuisse id receptum ab omnibus, iisque præclarissimis. Atque hoc ipsam longè verissimum est: Quandoquidè à nullis ἀπὸ πάντων nomen illud receptum est; sed tantum contra Arianos: Cum ante hæc Synodo Antiochena contra Paulum Samosatenum (qui Filium dicebat ὁμοῦσι, id est, ejusdem substantiæ cum Patre tantummodo secundum speciem, non secundum numerum) rejectum fuisse: Quod etiam multi partim autoritate illius concilii, partim ambiguitate vocis, ab usu vocabuli, homousios, ut a concilio Niceno erat receptum, fuerint deterriti, id manifestum est ex Hilario in libro de Synodis circa finem; uti etiam illud Gregorius de Valentia lib. 1. de uno & Trino secundum se cap. 16. negare nequit.

XIIX. Alte-

XVII. Altera responsio est petita ab autoritate Hieronymi: quod & Hieronymus (inquit Lutherus) optavit aboleri, adeoq; non effugerunt periculum, hoc invento vocabulo, ut Hieronymus queratur, nescire, quid veneni lateat in syllabis & literis, adeo illud Ariani magis, quam scripturas etiam exagitant. Ad hoc respondet Gregorius de Valentia, mentitum esse Lutherum, cum hoc Hieronymus in Epistola 57. ad Damasum non dixerit, nisi de vocabulo Hypostasis, eo quod non persona tantum, sed etiam pro essentia soleret usurpari, adeoq; esset periculum dicere tres in divinitate hypostases. Cum etiam idem Hieronymus tres hypostases dicere non omnino recusaverit, imò ut ita loqui liceat, à Damaso Pontifice postulaverit. Estq; hoc secundum Jesuitarum argumentum.

XVIII. Respondemus 1. verba duntaxat, non locum Hieronymi contra Latomum allegavit Lutherus, ideoq; adhuc sub iudice lis est, an ibi citaverit illa verba ex epistola ad Damasum. 2. Deinde ponamus Lutherum Hieronymi verba ex epistola illa citasse (ut facit in libro de Concilijs) & pro ὁμοσίου voce ὑποστάσεως arripuisse: nihil tamen causæ ipsius derogatur: Æquè enim vox ὑπόστασις atq; ἁμοσίον in Ecclesiam, & propter eandem ferè causam, erat introducta & recepta: nempe propter sanctam Trinitatem distinctè contra hæreticos asserendam: ut enim Patres voce ὑποστάσεως distinctionem personarum, sic earundem distinctarum unitatem & æqualitatem in simplicissima Dei essentia voce ἁμοσίον significare & demonstrare voluerunt. Uta. postea multos (inter quos etiam ipse Hieronymus fuit, ut ex illa ad Damasum Epistola intelligere est) vox ὑποστάσεως offendeat; sic etiam vox ἁμοσίον multis suspecta erat. Ut ergo Hieronymus periculum esse putavit, si diceretur tres esse in divinitate hypostases, sic quoq; multi existimabant æquè periculosum esse, si diceretur, tres esse homoussios in Deitate, ut videre est apud Hilariam loco alleg. & Augustinum tom. 6. l. 3. contra Maximinum Arianorum Episcopum cap. 14. mihi pag. 733. C. D. Quod ergo conquestus est Hieronymus de periculosa vocis hypostasis usurpatione, id idem Hieronymus (vult dicere Lutherus) potuisset conqueri de voce ἁμοσίον: uti etiam illud neq; Bellarminus neq; Gregorius de Valentia negare poterunt.

XIX. Quemadmodum porrò Hieronymus tres *ὁμοῦσιος* dicere non omninò recusavit; sic neque Lutherus vocem *ὁμοῦσιος* planè rejecit, quando allegato loco contra Latomum Hilario concedit, quod vox *ὁμοῦσιος* fundamentum & rem ipsam, quam eà orthodoxi patres significarunt, in sacra scriptura contineat: Latomo verò nequaquam largitur, quod vox peccatum in scriptura significet pœnam: proindeq; similitudo illa in duabus hisce vocibus Homousios & pœna a Latomo quæsita, locū habeat: quæ est tertia Lutheri responsio: nempe similitudinem Latomi hic locum non habere.

XX. Quarta est per concessionem. *Jam si esset* (inquit & ponit, non verò concedit Lutherus) *similitudo, & exemplum valeret, tamen non esset trahendum in consequentiam, sed indulgendum patribus, qui semel extra scripturam posuissent vocem profanam: Alioqui, si exemplum statuas, totam scripturam licebit in alias voces mutare, sicut sophistæ fecerunt: His verbis annectit illam sententiam hypotheticam, quam Bellarminus & Gregorius de Valentia non allegarunt, sed depravarunt, & in Categoricalam mutarunt: Quod si odit anima mea vocem homousion, & nolo ea uti, non ero hereticus. Quis enim me cogit uti, modò rem teneam, quæ in Concilio definita est?*

XXI. Quis calumniam & malitiam plusquam Satanicam illorum duorum Jesuitarum ex hac ipsius Lutheri declaratione non intelligit? Ut enim Lutherus non concedit, sed ponit duntaxat similitudinem & exemplum à Latomo adductum esse verum, & ad rem facere: sic etiam nequaquam concedit, sed tantum ponit, animam suam odisse vocem homousion. Et deinde ut concludit: si vox homousios non habeat fundamentum in scriptura & nihilominus sit à Patribus in Ecclesiam introducta; tum factum illud non esse trahendum in consequentiam, sed Patribus indulgendum esse, qui semel extra scripturam posuissent vocem profanam: Sic etiam ex hac hypothese dicit, si odissem vocem homousion, in scriptura fundatam, modò rem ipsam teneam, quæ in Concilio per scripturam definita est, nequaquam posse inferri, quod sim hereticus, sed potius meam infirmitati indulgendum, qui videam quidem rem ipsam in scri-
ptura

ptura contineri, non autem intelligam vim vocis *ὁμοούσιος* illam ipsam significare.

XXII. Hæc est mens & sententia Lutheri & quidem hypothetica, ita contra adversarium posita, non Categoricè asserta, nempe quod oderit vocem *homousion*. Categorica verò ejus assertio est, quod revera rem in Concilio per scripturam definitam, & voce *homousios* significatam, approbet, & contra Arium strenuè defendat.

XXIII. Forfan Jesuitis duriusculum videtur, quod dicit Lutherus: *Quis me coget hac voce uti? sed hæc quoq; verba respiciunt ad hypothesin, quam dedit: Si nimirum putarem Patres extra scripturam posuisse vocem prophanam.* Certè multos illos (quorum meminit Augustinus loco jam modo allegato) in Concilio Ariminensi deceptos, nemo cogere poterat, ut cum Patribus Nicenis vocem *homousios* retinerent & usurparent. Imò Augustinus ipse non potuit Maximino persuadere, ut in Controversia de voce *Homousios* auctoritatem Concilii Niceni admitteret. Hoc enim quando allegabat Augustinus, Maximinus ipsi opponebat Ariminense: quò tandem Augustinus cogebatur auctoritatem Concilii Niceni & vocem *homousios* seponere, & ex sola sacra scriptura cum adversario disputare.

XXIV. Sic enim scribit Augustinus ad Episcopum illum, d. l. distinct. D. *Quid est enim Homousion, nisi unius ejusdemq; substantie? Quid est, inquam, Homousion, nisi ego & Pater unum sumus? Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam predicaturus proferre concilium: Nec ego hujus auctoritatem, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumq; propriis, sed utruq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

XXV. In tertio argumento committitur Fallacia causæ. Non enim propterea in germanis precibus Lutherus non retinuit vocem Trinitatis, quod displiceret: sed quod magis ad attentionem & devotionem plebis excitandam facere putaret, si tres personæ suis distinctis nominibus invocarentur: *HERR GOTT VATER im Himmel. Erbarm dich vber vns? HERR GOTT SOHN der Welt Heyland? Erbarm dich vber vns: HERR GOTT H. Geist*

S. Geist : Erbarm dich über uns. Et nemo negabit, majorem Emphasin & devotionem esse in hac personarum quasi distincta invocatione : quàm si complexa illa denominatione invocarentur : *Santa Trinitas, Unus Deus, miserere nobis. Du heilige Dreyfaltigkeit / einiger Gott / erbarm dich über uns.* Mera ergo cavillatio & calumnia est. Nam quod à voce Trinitatis non abhorruerit Lutherus, plus satis ejus scripta tam Latina, quam Germanica testantur, in quibus vox Trinitas & *Dreyfaltigkeit* infinitis locis legitur. & defenditur.

XXVI. Quartum argumentum concedere possumus : quod verò inde inferunt Jesuitæ, Lutherum Nestorium & Eutychem defendere, vel ad illorum partes descendere, illud neq; ex libro de conciliis, neque ex magnis Postillis, sed potius contrarium, demonstrabitur. Quandoquidem Hæreticos illos unà cum Ario turpiter contra fidem catholicam & sacram scripturam errasse, erroresque suos propagasse, multis probat & ostendit.

XXVII. Ad quintum argumentum respondemus concedendo prius, nempe Lutherum in Cap. 1. Genes. pag. 3. *B. his uti verbis : Atque sic primum ponit Moyses medium & instrumentum, quo Deus Pater in operando est usus, nempe Verbum.* Quod autem Lutherus & voce *medii* & *verbi instrumenti* non in propria sed metaphorica significatione & non Dialecticè sed Rhetoricè utatur, illud ex præcedentibus est manifestum, nempe quatenus Deo humana, utpote habere oculos, aures, brachia &c. tribuuntur, sic etiam Lutherus ἀνθρώπου παθῶς loquens, dixit, Deum nullo alio fuisse usum medio vel instrumento in rerum omnium creatione, quàm verbo suo. Quare longè alio modo hoc termino utitur, atque Arius vel etiam Gregorius Blandrata. Hi enim negabant Verbum esse Deum verum, & Patri ἑτεροῦτον, id verò in omnibus suis libris, uti etiam in hoc ipso contra Arium & similes Hæreticos statuit & seriò defendit Lutherus.

XXVIII. Sextum argumentum non nisi futilis cavillatio est. Nihil enim in dicto Esaia omisit Lutherus, sed duo illa nomina Hebræa *יהוה* & *יהוה* una voce *virtutis* exprimere & reddere

dere voluit, uti se explicat tom. 3. Jenens. Latin. pag. 304. b. in-
quiens: Sic autem sunt hæc duo nomina distinguenda, quod *EL* signi-
ficat virtutem substantivam, quâ sustinet alios: *Gibbor* autem seu *Gigas*
significat virtutem activam seu operativam, qua resistit inimicis, quod
fugat & perdit eos. Quare Lutherus respexit ad vocum harum
vim & significationem, quam ex radicibus suis, habent, quoq;
ejusmodi virtus indigitatur, quæ soli Deo competit. Licet
igitur vocem Germanicam *Gott* non usurpaverit, tamen per
vocem *Krafft* ejusmodi virtutem vult intellectam, quæ soli
Deo competit. Et si hoc nomine Arianismi est accusandus Lu-
therus, multò magis ejus hærescos rei agi possunt LXX. Inter-
pretes, qui omnia illa nomina, quæ ibi *Mesias* tribuuntur, omi-
ferunt & in locum ipsorum substituerunt, *Angelus magni con-*
fili.

XXIX. Septimum argumentum purum putum mendaci-
um est. Non enim ex prima Epistola Johan, cap. 6. Luthe-
rus expunxit illud: *Tres sunt, qui testimonium dant in celo &c.* sed
in suo exemplari Græco non invenit: Quod ergo in Græco
non legit, quomodo Germanicè vertere potuit? postea verò
sententia isthæc, in aliis incorruptis exemplaribus inventa, sta-
tim suo loco restituta est, adeo ut jam in omnibus exempla-
ribus Germanicis legatur.

XXX. Quod octavo Lutherus Divinam naturam passam
esse dicit, non subjectivè, sed duntaxat appropriativè intelligit.
Quomodo non solus sive nudus homo, sed ipse Deus passus di-
citur.

XXXI. Propter actiones illas ad Mediatoris officium
pertinentes, Filio Dei tributas, Philippus, nulla consequentia
Arianismi accusari potest. Quandoquidem dudum demon-
stravimus contra Papistas, officium Mediatoris pertinere ad ut-
ramq; naturam Christi. Quare etiam actiones, quæ secundum
illud officium proficiuntur à Christo, Filio Dei tribui possunt.

XXXII. Quod tandem attinet phrasin illam, *aliquid Divi-*
næ naturæ, illa non usus est Philippus, ut totam divinitatem de
Christo negaret, illamq; partibilem faceret; sed tantum respectu
humanitatis sic loquitur. Estq; ejus sensus & mens, Christum

non esse merum hominem, sed esse etiam in ipso aliquid Dei: hoc est, esse secundum aliquam partem Personæ, Deum. Et sic ita, phrasæ ejusmodi non adeò accuratas esse, non tamen propterea statim auctori absurda aliqua opinio est affingenda, quæ ipsi ne per somnum vel febrem in mentem venire potuisset. Legantur omnia scripta Philippi, & testabuntur, ipsum de Deitate Christi orthodoxè statuissè. Corrigat ergo linguam & retineat mentem.

XXXIII. Cæterùm hunc articulum de Deo obliquè subvertunt Jesuitæ. I. Quando Bellarminus, Gregorius de Valentia & tota Jesuitarum cohors, acriter propugnant & defendunt præter Deum etiam sanctos invocandos esse. Si enim isti, ex vocabulis leviter & certo respectu usurpatis, statim hæresin colligere & nostris affricare non erubescunt: utique nos *πολυθείας* meritò istos accusamus, idq; non verbis ambiguis & dubijs, sed facto ipso. Certò sanè ac manifestò, tot Deos fingunt, & sibi colendos assumunt, quot in sanctorum demortuorum numerum referunt. Omnes enim illos adorandos & sic divino cultu honorandos, colendosq; esse, contendunt, defendunt & publicà, quotidianaq; praxi suà confirmant. Quid autem est ex creatura creatorem, ex demortuo homine Deum facere, si hoc non est? Cum adoratio sit præcipuus ac religiosissimus cultus, pertinet ad primam tabulam. Hinc ita concludimus: Qui cultus sacer pertinet ad primam tabulam, ille soli Deo tribuendus est, & nulli creaturæ; Atqui cultus adorationis est cultus sacer ad primam tabulam pertinens: Ergo est soli Deo tribuendus & nulli creaturæ.

XXXIII. Forsan excipient contra Majorem, adhibito suo Coccismo, quo distinguunt inter *λατρείαν*, *ὑπερδουλείαν* & *δουλείαν*: eamq; concedent de *λατρεία*, non verò de cæteris cultus speciebus.

XXXV. Respondemus & quærimus I. ad quod ergo præceptum secundæ tabulæ *ὑπερδουλεία* & *δουλεία* sint referenda: Cum omne bonum opus in aliquo præcepto divino fundetur? Nullum nominare possunt Jesuitæ. Siquidem in illis omnibus agitur de charitate proximi in his terris viventis, & existen-

existentis. Quid? quod ille cultus ad illam charitatem non pertineat, cum adhuc sit aliquid eâ excellentius. Ergo qui adorat sanctum, sive *δγλειαν* sive *ἑπερδγλειαν* vocet cultum illum, præstat opus primæ tabulæ, & honorem soli Deo competentem creaturæ tribuit, & ex illa Deum facit.

XXXVI. Deinde illos invocationis gradus planè tollit Apostolus Paulus Rom. 10. docens, Fidem & Invocationem ad idem dirigi objectum: Quia ergo in solum Deum credimus, utiq; solus Deus est adorandus.

XXXVII. Secundò, quando ex Maria virgine Deum faciunt. Quod duplici probamus argumento. 1. In cuius nomine baptisamur, in illum credimus, & consequenter est verus Deus: Quia in solum verum Deum credimus: Atqui Pontificij concedunt baptisari posse etiam in nomine Mariæ virginis: Ergo &c. Major est certa ex Baptismi institutione *Matth. 28.* Minor probatur: Non enim dubitant Pontificij baptismum vocare legitimum, si quis baptizet in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & beatæ virginis lib. 1. Novi sacerdotalis pag. 25. 2. Cui eadem gloria, quæ Deo, tribuitur, ille gloria divina, & ut verus Deus colitur: Atqui beatæ virgini à Pontificijs eadem gloria, quæ Deo, tribuitur: Ergo beata virgo à Pontificijs, ut verus Deus colitur. Major est certa & fundatur *Esa. 42. v. 8.* ubi Deus ipse: *Gloriam meam, inquit, alteri non dabo.* Minor probatur praxi Pontificiorum. Qui hac loquendi formula sæpius utuntur: *Soli Deo sit gloria & beatæ virgini.*

XXXVIII. Tertio, quando Jesuitæ obliquè negant Trinitatem; Quod sic probo: Qui negat sacrosanctam Trinitatem esse articulum fidei, is obliquè negat Trinitatem: Atqui Jesuitæ negant sacrosanctam Trinitatem esse articulum Fidei. Ergo negant obliquè ipsam Trinitatem. Major est certa: Nam nullus est profundior & à communi sensu ac ratione remotior articulus, quam qui de Trinitate est. Qui ergo non fide certus est, esse Trinitatem in una essentia Divina; is nullo modo scire vel concedere potest dari Trinitatem. Minor probatur. Nam Jesuitæ contendunt, nequaquam ex sacra scriptura, proindeq; nullo modo probari posse, Trinitatem, nisi admissa traditione,
ut in.

ut Immanuel à Vega Jesuita in oppugnatione facti Samofateniani Dei pag. 10. & Possevinus lib. 8. Bibliothecæ.

XXXIX. Quodcunq; non fundatur in scriptura, & ex illa non demonstratur: Illud nullo modo est articulus Fidei: Atqui Jesuitæ contendunt articulum de SS. Trinitate non fundari in scriptura, neq; ex illa demonstrari: Ergo Jesuitæ negant articulum de Sacros. Trinitate esse articulum fidei. Quod etiam alio modo facit Mussus tom. 2. pag. 573. scribens: *Trinitatem divinarum personarum celebrem esse etiam apud Hæreticos: Cum interim omninò Orthodoxorum ac totius Ecclesiæ sententia sit, doctrinam hanc solius Ecclesiæ propriam, & ex nullis alijs, quàm solius scripturæ fundamentis probari ac demonstrari posse.* Hactenus quoq; Antithesis hujus primi articuli.

Nam de cæteris Hæreticis hac vice agere nostri non est instituti.

SOLI DEO GLORIA.

Ad

Prestantissimum, & Humanissimum

Dn. M. JOHANNEM POLTZIUM

de Deo uno, & Trino contra Jesuitas
disputantem.

Esse DEUM planè confessio nostra triumum,
Monstrat ab Augustâ nomen, & omen habens,
Arrius obstrepit, cui Geso-manita Lutherum,
Adgregat, & manes vappa Melanchthonios.
Non pateris, Poltzi, sed Martino auspice magno
Has malè consutas dissuis affanias.
Gritulor id! spectes vel me monitore quod ultra est;
Vix tantum ingenium Fama latere sinet.

Animo mero,

Affectu sincero

Scripsit

M. Godofredus Cundisius Radebergensis

Fac. Phil. Adjunctus.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

IO SECUNDA
 m Confessionem
 tinens
 ARTICULI I.
 De
INO ET
INO,
 WITTEBERGENSI
 oposita
 SIDE
 ARTINI, SS. Th.
 Professore Publ.
 NDENTE
 NE POLTZIO
 colinis-Bohemo.
 ri ad diem 10. Augusti
 ndâ Pomeridianis.

EBERGÆ
 OMONIS AVERBACH,
 M DC XXVIII

2

